



## **Polyanthea Sacra**

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

**Spanner, Andreas**

**Augustae Vindelicorum, 1702**

Titulus XV. Senectus, Senes.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79369)

## Miscellanea.

*Angelis suis mandavit de te.* Matth. 4. 6. Secundum Hieron. Bedam, &c. Psalmus iste non est ad literam scriptus de Christo; sed de

quocunque homine vivente, & viatore, Angelorum custodia indigente; quæ Christus non eguit. In quo patet dolus diaboli, scripturam mendaciter, & tamen verisimiliter multum apparenter explicantis. Dionys. Carthuf. hic.

## TITULUS XV. SENECTUS SENES.

## §. I.

*Symbola, descriptio.*

**E**t revertantur nubes post pluviam. Eccl. 12. 2. Franciscus Vales. Sacri Philosoph. c. 66. per nubes post pluviam accipit catarrhos, ex jugibus stomachi vaporibus generatos, quibus senes laborant, ex defectu caloris. apud Cornelium hic.

*Florebit amygdalus.* Eccl. 12. 5. Glossa. *canescet caput.* Ad literam, amygdalus citissimè, & densissimè, candescens repræsentat senectam pilis candidis subito candescentem. Itæ Sanct. Hieron. Cani, ait Hugo Card. sunt flores mortis, illam, quasi fructum, in propinquo esse denuntiantes: quia, sicut flores in fructum; sic cani in mortem, desinunt. Cornelius hic.

*Venient ab oriente, & occidente.* Luc. 13. 29. ab oriente juventutis, & occidente senectutis. S. Vinc. Ferr. l. 5. in Epiph.

*Videte regiones, quia alba sunt jam ad messem.* Joan. 4. 35. Cavillantur quidam lepidè senes videri regiones, quod alba sint ad messem, propter canos scilicet, & messem mortis. Theophylactus hic.

Cum sibi homines optant senectutem, quid aliud optant? nisi longam infirmitatem. Sanct. August. l. de catechizandis rudib. c. 16.

Senectus mortis præludium est. B. Theodoretus de Provid. Dei l. 8.

Manè tempus est Juventutis, vespere senectutis: manè ascensionis; vespere descensionis. Sim. Cass. l. 14. Luc. 24.

Solon rogatus, quid esset senectus? respondit: est hyems vitæ, apud Cornelium in Eccl. 12. 1.

## §. II.

*Senectus pietati apta.*

**H**i novissimi unâ horâ fecerunt; & pares illos nobis fecisti. Matth. 20. 12. Juxta S. Chrysostr. hom. 55. in Matth. qui de Patrefamilias murmurant, hi sunt, qui adhuc juvenes viam pietatis ingressi, ad ultimum usque senium decurrerunt. *Amice, non facio tibi injuriam.* v. 13. q. d. nulli facio injuriam; sed pro ejusque meritis mercedem rependo: quia hi senes unâ horâ tantum laborarunt, quantum vos totò vitæ spatio. Ex quo patet: senectutem aptissimam esse humanæ vitæ portionem ad studium pietatis: adeò, ut in senectute facile refarcire possis, quod reliquis vitæ partibus neglectum. Pinna Ethol. 82.

*Si venerit in secunda vigilia; & si in tertia vigilia venerit.* Luc. 12. 38. Hebraei noctem in quatuor partes secabant, quas *vigilias* vocarunt. Per has significat pueritiam, juventutem, virilem ætatem, & senectutem. Pueritia prima, senectus quarta. Secunda, & tertiæ vigiliæ meminit: quia his majori studio urgebantur custodes. Cum infantes sumus, sine usu rationis, nec mereri, nec demereri, possumus: in quarta homines pietati invigilant; nec opus habent admonitore ad virtutem. Pinna ibid. Pueris admonitione non est opus: quia ad hoc incapaces doctrinæ, & culpæ sunt. Senes item monitis non videntur indigere: quia senectus ipsa pro admonitione est; & veluti quoddam *memento homo*. Alvarez. Illust. 290.

*Audientes autem unus post unum exiebant, incipientes à senioribus.* Joan. 8. 9. Objecerat accusatoribus conscientiam scelerum cum digitò scribebat in terra. Doctrinam senes facilius excipiunt. Sanct. Ambros. ep. 51. qui priores vim intellexere sententiæ, quasi prudentiores; & cœperunt sua magis deslere peccata. S. Hieron. in Joel 2. 16. quorum ætas vicina morti, maturæque sententiæ, magis timorem, ac Dei cultum, suscipit. Velloso in Judith 6. Paræn. 8.

## §. III.

*Senes honorandi.*

**V**ides, quod senuerim - sume arma &c. Gen. 27. 2. 3. Ut hoc Isâaco Esau præstaret obsequii, poterat alias obtendere causas: scilicet jus paternum, educationem, &c. Omnibus autem aliis præteritis, solum meminit senectutis: *vides, quod senuerim.* Hoc satis sit, ut mihi obsequaris, ut laborem inunctum suscipias: *quod senuerim.* Pinna Ethol. 142. *Junior fui, etenim senui; & non vidi justum derelictum.* Psalm. 36. 25. Intendit evincere, justum semper feliciter incedere, & omnia ei, ad votum evenire. Quod sanè difficile est creditu: cum contraria nobis ob oculos obversentur. Et tamen, cum multa congerere posset, quæ sibi dicenti fidem facerent, & auctoritatem sibi conciliarent; id unum adducit: *junior fui, etenim senui.* Mihi seni, inquit, credite, qui multa expertus sum. Vide, quantò honore, & fide, digna sit senectus. Id. ibid.

*Senior Cajo charissimo.* 3. Joan. 1. Vide, quem titulum sibi præfigat Joannes, ut benevolen-

volentiam, & auctoritatem, sibi conciliet; nimirum *senior*. Poterat sibi tot alios titulos scribere; sed hęc unō contentus est. Idem ibid.

*Multam fiduciam habens in Christo JESU - cum sis talis, ut Paulus senex, Philem. 8. 9.* Laudat Philemonem, ut eum cogat refugum servum Onesimum excipere: quod sit *senex*, maximum ad persuadendum motivum, Id. ibid.

## S. IV.

*Senes non spernant juvenes.*

**F**iat lux. Gen. 1. 3. Primā die dixit Deus: quartā die dixit: *fiant luminaria, fecitque Deus duo luminaria magna.* v. 16. An Deus primā die luci dedit splendorem, utpote antiquiori omnem? minime; imō & majorem posterioribus Luminibus contulit. Non semper, quod antiquius, id præstantius. Sylveira in Act. 17. 9. 6.

*Det tibi Deus de rore cæli &c.* Gen. 27. 28. Citius natus est Esau, sed primogenituram cessit Israeli. Ultima maturescit in agro olea; sed pretiosior fructu. Postremus inter membra oculus formatur; sed præstantissimus dignitate tarditate compensat. Aurora sole velocior; sed obscurior. Vitrum splendet in cunis; nec dum plene in lucem editum lucet: cum adamantem summō labore erudiri necesse sit ad fulgorem. Verum illud, quā facile splendet, tam facile frangitur: hoc verō, quā tardē lucem emittit, tam serō amittit. Rana nesciunt vocis infantiam, pipientibus in nido lucinis: ac coaxant illæ vel in senio; harum verō cantus, quō tardior, ed dulcior, &c. &c. Oli-va t. 2. Strom. §. sicut unguentum in capite. *Et Baldad Subites.* Job. 2. 11. S. Gregor. mor. 1. 13. c. 17. Baldad interpretatur *vetustas sola*: quō notantur, qui solō corporis senectute gloriantur; & ex hac una honorem sibi parant.

## S. V.

*Senes vix arrigibiles.*

**S**enorem nē increpaveris. 1. Tim. 5. 1. Nam doceri senem, res est, aut difficilis, aut supervacua. Diogenes dicebat: mortuo mederi, & senem docere, idem esse. Mendoza in 1. Reg. 3. 15.

## S. VI.

*Senectus ex moribus æstimanda.**Ex Veteri, & Novo.*

**E**rant autem ambo senes &c. Gen. 18. 11. An non Adam, &c. Seniores? Primus tamen senex vocatur Abraham: quia primus virtuti à pueritia vacaverat. In Dei catalogo non numerantur anni; sed ponderantur. Alvarez Illustr. 287.

*Congrega mihi septuaginta viros de senibus Israel; quos tu nosti, quod senes populi sint, ac magistri.* Num. 11. 16.

*Quid mihi datis consilium?* 3. Reg. 12. 9. S. Hieron. ad If. 3. talis fuit Rex juvenis Roboam, filius Salomonis, qui secutus est juvenum consilia: non quod ætate esset juvenis, sed sapientiā; alioqui quadraginta, & amplius, annorum regnum accepisse narratur. Et è contrario Salomon duodecim annorum erat, quando suscepit imperium. Et quia habebat sapientiā, propterea non est appellatus juvenis.

*Et dabo pueros principes eorum.* If. 3. 4. S. Basilius hic: non is, qui per ætatem est juvenis, fugillatur; sed qui moribus præfert adolescentiam. Non enim per ætatem ullus venit culpandus; sed qui vitiose vivit: cujusmodi erat Roboam, de quo scriptum est 3. Reg. 12. 8. 2. Paral. 13. 7. *Roboam erat junior, & corde parvulo.* Ita legit S. Basilius.

*Dominus ad judicium veniet cum senioribus populi sui.* If. 3. 14. Cum senioribus, id est, sanctis: quia, licet multi eorum juvenes fuerint; tamen gubernarunt se ut senes. S. Vinc. Ferr. 1. fer. 6. post ascens. D.

*Triginta, & octo annos habens in infirmitate sua.* Joan. 5. 5. Ærumnarum dies integri, & completi, apud Deum sunt. Ecce, quā exactē, & integrē, enumerentur infirmitatis anni. E contra de Saul, qui quadraginta annis regnavit, dicitur 1. Reg. 13. 1. *duobus annis regnavit super Israel*, cæteris omnibus oblivioni traditis triginta, & octo, evanuerunt apud Deum; & ex annis ærumnarum, ac laborum, integri numerantur. Bæza t. 2. l. 9. c. 2. §. 13.

*Dixit JESUS: pueri, nunquid pulmentarium habetis?* Joan. 21. 5. Cur barbatos viros pueros vocat? S. Chrysol. l. 78. quia eos fidei virtute repererat desitutos, & à virili robore invenerat dejectos; arguit tales, pueros nuncupando. Ibi enim erat Petrus, qui negaverat; Thomas, qui dubitaverat; Joannes, qui fugerat: non ergo, ut fortissimos milites, sed pueros compellat; ut timidos.

*Cum senueris, extends manus tuas.* Joan. 21. 18. Ecce venerabilis Petri senectus, & dierum plenitudo, unde censetur? ex vinculis, & laboribus. Sanct. Ambros. in Pf. 36. ante certamen *junior* dicitur, in certamine *senex*; quod omne certamen impleverit. Id. ibid.

*Cum sis talis, ut Paulus senex; nunc autem & vincus JESU Christi.* Philem. 9. Tunc ætatis senium audet numerare, cum patitur vincula, & carceres, pro Domino. Sanct. Ambros. in Psalm. 35. ibi se senem esse gloriatus est, ubi jam in vinculis tenebatur. Idem ibid.

*Ex Patribus, & aliis.*

Quid votis opus est, ut ævi maturitas consequatur, si mihi meritum regni cœlestis demptura est? Sanct. Ambros. in Luc. 18. sub initium.

Nulla ætas ad perdiscendum sera est. Erubescat senectus, quæ emendare se non potest. Non

Non annorum canities est laudanda; sed morum: nullus pudor est, ad meliora transire. Id. ep. 31.

Verè senectus illa venerabilis est, quæ non canis, sed meritis albescit. Ea est enim reverenda canities, quæ est canities animæ in canis cogitationibus, & operibus, effulgens. Quæ est enim verè ætas senectutis? nisi vita immaculata; quæ non diebus, aut mensibus, sed sæculis, propagatur. Id. ep. 60.

Nihil longum est, quod finem habet: & omnis retrò temporum series transacta non prædest; nisi fortè bonorum operum vitæcum præparaverit, S. Hieron. Proem. in l. 3. c. 8. Ezech.

Moribus canis a juventute: cui secundas post Apostolos partes tempus solum dat. Temporis enim natura in præterito, & futuro. Quod ad virtutem, & vitium, attinet; eodem modo sese habet: in libero enim arbitrio, atque proposito voluntatis, non in tempore, bonum consistit. S. Gregor. Nyss. orat. funebri de S. Basilio fratre suo.

Hos graves, & honestos, servos dico; non minus virtutis, quam senectutis, nomine venerandos: quorum ut corpora temporis diuturnitate debilitantur; ita animæ Deo juvenescunt. S. Gregor. Naz. orat. 24. in laudem, Cæsarii Fratris.

Denique indormiscit plena, non humanorum dierum, quos ne in votis quidem habebat; sed dierum secundum Deum exactorum: ita plena, ut hæud sciam, an perinde quisquam eorum, qui in locupletissima senectute mortem obierunt; ac multos annorum orbis, conversionesque, numerarunt. Id. orat. 25. in laudem tororis suæ Gorgoniæ.

Expers timoris Domini securitas cogitationem puerilem facit. Et timor Domini etiam juvenes senes reddit. Sanct. Ephrem s. de tim. Dom.

Cana consilia in annis puerilibus meditabatur. Ennodius de Epiphania in ejus vita.

Agebat senem moribus annis puer. S. Bernardus in vita Malachiæ Ep.

Sicut sapientia dat canos; ita, quidquid viri est, tollit insipientia. Hunc ergo juniorem (filium prodigum) mores præstitere, non ætas: seniore illum, non tempora fecerunt esse, sed sensus. S. Chrysol. l. 5.

Non magnum est, imò magis malum est, multis vixisse diebus, si non tenueris virutibus; cum puer centum annorum sit moriturus; & peccator centum annorum maledicendus. II. 65. 20. Guarricus s. in Purif. B. V.

Melior est senectus morum, quam annorum; meritum, quam temporum. Richard. à Sanct. Vict. de differ. Sacrif. Abrahæ, & B. V.

## §. VII.

## Miscellanea.

Qui dudum infans, subito puer; qui puer repente juvenis, & usque ad senectutem per spæta mutatur incerta; & ante se senem intelligit, quam juvenem non esse se miratur. S. Hieron. in II. c. 45. v. 2.

Ut æqualium usus dulcior, ita senum tutor est: qui magisterio quodam, & ductu vitæ, colorat mores adolescentium; & velut murice probitatis insicit. Sanct. Ambros. offic. l. 1. 43.

## TITULUS XVI. SENSUS.

## §. I.

## Symbola, &amp; similitudines.

Quinque reges Gen. 14. 2. quinque sensus corporis nostri sunt. Merito reges dicuntur: quia habet suam culpa dominatum, habet regnum grande. S. Ambros. de Abrah. l. 2. c. 7. Per quinque Reges Sodomorum designatur regnum carnale quinque sensuum; in quibus præest concupiscentia gula. S. Thom. Aqu. hic.

Quando commovebuntur custodes domus. Eccl. 12. 3. Pro commovebuntur, Cajet. & Tigur. vertunt; *tremunt*. Campenl. *debilitati fuerint*. Qui sunt hi custodes domus, id est, corporis? hæc enim est domus, in qua habitat anima. Lyran. Titelm. & Vales Sacr. Philos. c. 66. accipiunt omnes sensus; præsertim oculos, & aures; qui quasi custodes, & vigiles, excubant; ne quid in corpus noxæ ingrediatur. Hi in senibus commoventur, debilitantur, & deficiunt. Cornelius hic.

Dicit aliquis, quoniam Tactus est in prima vocatione; propterea, quod dictum: non manducabitis nec tangetis. Gen. 3. 3. Odo-ratus autem misericordia; propterea, quod dictum est de Noë Gen. 8. 21. *odoratus est Dominus odorem suavitatis*. Gustus autem est in Abrahæ vocatione; quod angelos pavit. Auditus in Moysè; quando de caelo audita vox Dei. Visus autem, qui super omnes sensus honorabilior est, in adventu Christi significatur; quando oculi beati Christum viderunt. Origenes tr. in Matth. 20. de vocatis ad vineam.

Sensus corporum quasi equi sunt, sine ratione currentes: anima verò in aurigæ modum, retinet fræna currentium. Et quomodo equi absque rectore præcipites ruunt; ita corpus sine ratione, & imperio animæ, in suum fertur iterum. S. Hieron. l. 2. adv. Jovin.

Sicut apes in floribus, sic sensus in delectationibus, vagantur. S. Bonaventura l. 3. D. 9. Pent.

## §. II. Sen-